

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis  
Disciplinis & religione Christiana**

**Regino <Prumiensis>**

**Parisiis, 1671**

291. De eadem re.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

cilicum super capita à sacerdote , sicut ubique  
constitutum est , consequantur. Si autem co-  
mas non deposuerint aut vestimenta non mu-  
taverint , abiciantur. [ *Editio Helmestadien-*  
*sis ita habet* : Si autem cōmas deponere aut ve-  
stimenta mutare noluerint , abiciantur. ]

Burchard. lib.  
19. c. 27.

Item unde suprà. *Ex eodem Concilio.*

CC X C I. In capite quadragesimæ omnes  
pœnitentes qui publicam suscipiunt aut susce-  
perunt pœnitentiam , ante fores Ecclesiæ se  
repræsentent Episcopo civitatis , sacco induiti,  
nudis pedibus , vultibus in terram prostratis,  
reos se esse ipso habitu & vultu proclamantes;  
ubi adesse debent Decani, id est, Archipresby-  
teri parœchiarum , cūm testibus , id est, Pres-  
byteri pœnitentium , qui eorum conversatio-  
nem diligenter inspicere debent. & secundūm  
modum culpæ pœnitentiam per præfixos gra-  
dus injungat. Post hæc in Ecclesiam eos intro-  
ducat , & cum omni clero septem pœnitentiæ  
psalmos in terram prostratus cum lacrymis  
pro eorum absolutione decantet. Tum consur-  
gens ab oratione , juxta id quod canones ju-  
bent , manus eis imponat , aquam benedictam  
super eos spargat , cinerem priùs mittat , dein  
cilicio capita eorum cooperiat , & cum gemi-  
tu ac crebris suspiriis eis denuntiet quod sicut  
Adam projectus est de paradiso , ita & ipsi ab  
Ecclesia ob peccata eiciantur. Post hæc jubeat  
ministros ut eos extra januas Ecclesiæ expel-  
lant. Clerus verò prosequatur eos cum ref-  
ponsorio *In sudore vultus tui vesceris pane tuo Genes. 3.*  
Ec. ut videntes sanctam Ecclesiam ob facino-

Burchard. lib.  
19. c. 26. &c  
Di. 50. c. 64.

ra sua tremefactam & commotam, non parviperdant pœnitentiam. In sacra autem Domini cœna rursus Ecclesiæ liminibus se præsentent.

De danda pœnitentia. *Ex Concilio  
Mogontiacensi.*

Concil. Mo-  
gunt. sub Ra-  
bano c. 31.  
Burchard. lib.  
19. c. 28.

**CCXII.** Modus tempisque pœnitentiaæ peccata sua confitentibus aut per antiquorum canonum institutionem, aut per sanctarum scripturarum auctoritatem, aut per ecclesiasticam consuetudinem imponi debet à sacerdotibus. Nam qui peccatis gravibus leves quosdam & inusitatos imponunt pœnitentiaæ modos, consuunt pulvillos, secundum propheticum sermonem, sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas. Sed discretio servanda est inter pœnitentes publicè & absconsè. Nam qui publicè peccat, oportet ut publica multetur pœnitentia & secundum ordinem canonum pro merito suo excommunicetur & reconcilietur.

Qualiter suscipere debent pœnitentem  
Episcopi vel Presbyteri. *Ex Pœni-  
tentiali Romano.*

Burchard. lib.  
19. c. 33.

Luc. ii.

**CCXIII.** Quotienscumque Christiani ad pœnitentiam accedunt, jejunia injungimus, & nos communicare cum eis debemus in jejunio unam aut duas hebdomadas vel quantum possimus, ut non dicatur quod sacerdotibus Judæorum à Domino dicitur: *Væ vobis legisperitis, qui adgravatis homines, imponentes super humeros eorum onera gravia & importabi-*